



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

3. Quandonam vestes sacræ amittant benedictionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

De facultate Episcoporum benedicendi Sacras Vestes.

In hac Episcoporum potestate non est valde im-  
portandum: solum id adverte: adesse, merito, Sacra  
Congregationis declarationem, Episcopum non posse  
hanc potestatem Sacras vestes, aliaque similia benedi-  
cendi delegare simplici Sacerdoti. Sic Possivinus de offi-  
ciis curati cap. 2. de Sacrific. num. 37. & alij apud Gavan-  
tano in Rubr. Miss. p. 4. tit. 16. n. 23. Ratio est, quia hæc  
potestas non pertinet ad jurisdictionem, sed potius re-  
spectu ad potestatem ordinis, quæ solum residet in  
personis Episcopi, qui est consecratus. Atque hinc fit,  
quod neque potest eam delegare suo Vicario, quia is po-  
tius, quod non sit Prælati, in hoc venit nomine Sa-  
cerdotis simplicis.

Duo Privilegia Mendicantium Sacras Vestes benedicendi.

Primum Privilegium concessum est ab Innocentio  
VIII. viva vocis oraculo, Congregationi Sanctæ Justi-  
tæ de Padua, & consequenter Mendicantibus. & par-  
ticipantibus cum illis, quo Abbates, & Priores princi-  
palis regimine habentes, unde, & Præpositi, & Rectores,  
& Guardiani, simulque Superiores, possunt benedicere  
Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiæ,  
& ad eorum divinum pertinentia, & tam sicut Eccl. sic,  
quam etiam undecumque delata. Ita in Compend. privileg.  
Sæc. Jesu. V. Benedicere, §. 3.

Hoc privilegium, quavis viva vocis oraculo con-  
cessum sit ab Innocentio VIII concessum est etiam per  
Bullam à Leone X. Fratribus Minoribus: (et consequen-  
ter participantibus) quamvis pro suo usu tantum. Apud  
Bellar. R. etiq. Bulla 6. Leonis X.

Secundum, de hac re, privilegium est Sixti IV.  
qui concessit, quod omnes Fratres Minorum (& con-  
sequenter participantibus cum illis) possunt benedicere  
paramenta Altaris, Missalia, & indumenta exceptis Cor-  
poralibus dumtaxat Portell. in dub. Reg. V. Benedicere, in  
addit. n. 3.

Nota, hoc privilegium esse pro religiosis Sacerdoti-  
bus, etiam non Superioribus, illud dictum, n. 5. solum  
pro Superioribus.

Nota insuper cum Portella ibidem, ipsis Minoribus  
esse hoc ipsum restrictum in dicto capitulo Meclinesi,  
ut solum provinciales, Custodes, & Guardiani possint. Ad-  
dit tamen idem hanc concessionem, ut jacet, esse in usu  
quod partes Dominicanos.

Petes, Suntne hodie universaliter restricta hæc  
duo privilegia à Sacra Rituum Congregatione, ut solum  
Regularibus pro suis usibus, non verò, pro usu exte-  
rioribus, possint illa benedicere? Respondeo. Aliqui cum  
Gavanto in Rubr. Miss. part. 4. tract. 19. n. 22. Lezana v. Al-  
tate, num. 4. docent esse restricta; negant alij cum March.  
de orat. 3. p. 1. c. 11. num. 3. Tambur. de jur. Abbat. tract. 1.  
d. 93. 94. cum quibus sentio. Ratio est, quia constat de  
privilegio, non verò de ejus revocatione. Quare, præter  
Superiores Societatis, quibus restrictum est privilegium,  
solum pro proprio usu, ut habetur in Comp. Privileg. Soc.  
Jesu v. Benedicere, §. 3. & præter Minores, quibus etiam  
restrictum est pro suo usu in prædicto c. Meclinesi, alij  
poterunt, undecumque illa afferantur, si ipsis limitatum  
id à suis Generalibus non fuerit.

De his vide nonnulla peculiariter pro nostris ex Socie-  
tate, præsertim pro Rectoribus Seminariorum apud De-  
lugo lib. 1. resp. m. d. 39.

§ III. Quando nam vestes Sacrae amittant benedictionem?

Amittunt, quando fiunt inepta ad usum Sacrifi-  
cij; inepta autem fiunt, statim atque perdunt  
figuram, si qua benedictæ fuerunt. Ita Hurtad. de sacri-  
fic. d. 1. diff. 11. alijque. Unde si Manica Alba separatur ab  
Alba, recedit benedictio, quia sic inepta evasit  
Pars II.

ad Sacrificij usum. Quod si Alba sit ejusmodi, ut ejus  
manicæ globulis, vel funiculis ipsi adnectantur, ut etiam  
Planeta, si ejus pars anterior resticulis cum int. riori  
connectatur; certe per disjunctionem, quando iterum  
ad usum unietur, non amittet benedictionem. Sic De-  
lugo disp. de Euchar. d. 20. sect. 4. num. 97. & 99 Ratio  
est, quia, ut supra cap. 1. §. 5. num. 2. de Calice tornatili  
diximus, remanet eadem vestis.

Quadam propria de Cingulo.

2. Si Cingulum rumpatur in duas, v. g. partes amittit  
benedictionem? Respondeo cum Delugo ibidem. Si  
remanet utraque pars apta ad cingendum non amittit,  
ut constat ex dictis num. 1. & ex dicendis infra cap. 5. §. 1.  
num. 2. de Ara consecrata. Si solum una pars apta re-  
manet, hæc sola propter eandem rationem, benedicta  
remanebit: poterit tamen pars non apta huic annexi,  
nam tunc accessorium sequetur principale, & sic totum  
erit benedictum, sicut contingit, quando, vestibus at-  
tutis, pars aliqua ad eas referendas assumitur. Si de-  
nique neutra pars remanet apta ad cingendum, neutra  
benedictionem servabit, cum utraque inepta sit ad usum  
Sacrificij. Sic Delug. ibidem, & Hurtad. de sacrif. d. 4.  
diff. 1. alijque.

3. Dices Sicut Alba, & Planeta resticulis conjungi-  
biles, ad instar Calicis tornatilis, non amittunt benedi-  
ctionem, ita nec dictæ cinguli partes, quæ, facto nodo,  
facile conjungi possunt, amittent.

Respondeo, in Alba, Planeta, & Calice dictis, benedi-  
ctio data est, sub illo modo partium separabilium, &  
iterum conjungibilium, unde, partibus separatis, veluti  
suspenditur usus benedictionis, non amittitur benedi-  
ctio: at in cingulo quod non fuit, sub illo modo benedi-  
ctum, dicere idem, nequaquam possumus.

4. Scio, quod aliqui apud Dianam p. 2. tract. 14. ref. 57.  
& p. 5. tract. 13. ref. 93. propter magnam facilitatem, qua  
facto nodo, conjungi hæc cinguli partes possunt, tenent  
non indigere nova benedictione, quæ certè opinio,  
saltem propter auctoritatem extrinsecam Doctorum,  
non est improbabilis. Nota autem, Dianam d. p. 2.  
tract. 14. ref. 57. inter hos numerare Egidium Coninch.  
qui tamen pro hac opinione non stat, eam enim, non  
tanquam suam, Egidius, sed tanquam Emmanuelis Sa,  
profert. Immo contra Egidium puto, quod neque id  
Emmanuel dicit. Audi breviter utrumque. Si cingulum  
(ait Coninch. de Sacram. quest. 83. art. 3. d. 3. num. 251.)  
ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum Sacer-  
dotem, amittit benedictionem. Secus si longior pars suffi-  
ceret ad cingendum. Aliqui tamen putant, etiam in pri-  
ma fractione, licere partibus simul nexis uti. Ita Emma-  
nuel. Sa v. Missa num. 22. Hæc Coninch. Audi Emma-  
nuel. Sa. v. Missa num. 22. Cingulum, ait, fractum po-  
test necesse si pars altera non sufficit. Hæc Sa. Vides? Si pars  
altera non sufficit, ait, (quæ est doctrina à nobis aila-  
ta num. 1.) non veto, si neutra pars sufficit, de quo hic  
est questio.

Quadam propria de Stola vel Casula.

Si Stola, vel Casula duplicata, fiant, facili separa-  
tione, duæ, quarum utraque sit apta ad Sacrificium,  
amittunt benedictionem? Dico, non amittere, quia  
illæ vestes sunt totaliter benedictæ, & separatæ, reman-  
ent aptæ ad Sacrificium sub eadem forma, sub qua  
fuerunt benedictæ. Confirmetur ex cingulo, cujus, fra-  
ctæ duæ partes, aptæ ad cingendum, ambæ retinent be-  
nedictionem.

6. Illud certè approbare non possum, quod aliqui  
Planetam non benedictam assunt Planetæ benedictæ,  
& sic celebrant; nimirum, prætextu, quod illa non  
benedicta, jam ipso Sacrificio, juxta supradicta cap. 1.  
§. 5. num. 2. benedicatur, possint iterum dissuere, &  
Planeta assuta tanquam benedicta frui. Hoc, inquam  
non approbo cum Possivino de offic. curati cap. 1. de sa-  
crificio, n. 3. & Gavanto in Rubr. Miss. p. 4. tom. 9. num. 21.  
I 3. qui

qui nullam rationem assignant, posset tamen hæc assertio: Nam vel illa asluta uteris ex intentione sacrificandi in ipsa: & sic mortaliter peccas adhibendo planetam non benedictam: vel illa uteris non ex intentione sacrificandi in ipsa, & tunc non benedicitur, quia benedicitur vestis ex ipso sacrificio, in probabili illa sententia, quando vestis infertur sacrificio: at non infertur sacrificio illa, quam ex tua intentione, licet materialiter tecum habeas, sicuti habes cæteras usuales vestes, & nullo modo refers ad sacrificium. Confirmatur: nam si Episcopus benedictionem proferret præsentibus duabus Planetis, (cum intentione benedicens hanc, & non illam, certè hæc sola benediceretur, non autem illa: pari ergo modo (cum, quod in te nostra facit benedictio suppleat sacrificium) si ad illam vestem sacrificij benedictionem non refers, benedicta remanere non poterit.

*Quid juris, quando una vestis sacra mutatur in aliam.*

7. Si ex multis, v.g. Amictis immutatis fiat una Alba, & ex multis Stolis itidem immutatis una planeta: talis Alba, & Planeta indigerent benedictione? Dico (immutatis) nam si mutaretur forma sub qua benedicta erant, jam amitterent, ex dictis, benedictionem, atque adeo certa nova benedictione indigerent. Respondeo quod indigerent quia ex una parte tales amicti, & Stola nunquam habuerunt benedictionem Albæ, & Planetæ, & ex alia per illam unionem, nullam benedictionem acquisierunt.

8. Quid si tales Amicti, & Stola iterum disruerentur, & redirent ad pristinam formam, novæ benedictione indigerent? Respondeo nequaquam indigere; quia, cum supponamus, non amisisse suam formam, non desierunt esse iidem Amicti, & Stola, quæ erant prius.

9. Quod si ex Stola fiat Manipulus, & ex Manipulo Stola, juxta dicta §. 2. num. 2. non est necesse ut ad hunc novum usum, sicut nec deinde, quando forte redirent ad suum pristinum, nova benedictione benedicantur, quia Stola, & Manipulus non sunt diversæ vestes, solum enim una est brevior, alia longior, atque adeo una non indiget diversa benedictione ab altera. Sic Fagund. 1. *Eccl. præcept. lib. 3. cap. 23. n. 13.*

## CAPVT VI.

### De Loco Sacrificij.

#### §. I. Quisnam ille sit.

1. SACRATISSIMUM Missæ sacrificium, Primò, in Ecclesia consecrata offerri potest, & quidem olim solum in hac offerri poterat. Secundo in Ecclesia seu publico Oratorio benedictis. Tertio, in Oratorio privato non benedicto, quod tamen ad sacrificij usum, veluti permanenter, deputatum est. Quarto in loco decenti, licet profano, ab habente ad hoc potestatem, designato, qui ad sacrificium celebrandum, veluti actus alter, semel, aut iterum, seu quoties expediens fuerit, deputetur.

2. Extra hæc loca celebrare, quidquid dicant Sotus, & Sà apud Layman. *mor. citandum*, mortale erit. Sic Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 2. Azor. som. 1. p. 1. lib. 10. cap. 26. q. 8.* Coninch. *de Sac. q. 83. art. 3. d. 1. numero 224.* alique apud Bonac. *de Euchar. disp. quest. ult. p. 9. num. 10.* quia res est ex se gravis, & ita judicatur & omnium Fidelium sensu. Nulla autem incurritur poena saltem ipso facto, ut ex ipsis Sacris Textibus, quos iidem citati, alique apud ipsos, in contrarium afferunt, constare poterit.

3. Excipitur tamen communiter casus necessitatis, in quo potest extra dicta loca sacrificari. Judicatur autem à Doctoribus cum Delugo *de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 48.* Fagundez 1. *Eccl. præcept. lib. 3. cap. 13. num. 4.*

Pasqualig. & decis. 66. Marchin *de ord. 11. 3. p. 329.* casu necessitatis. Primò, quando, aliovi petente, diu puta per mersem, Missa caruisset. Imò, & in solemnioribus festis, eadem carere cogantur. Secundo, quando est magnus populi concursus ad imaginem, raculis coruscantem, vel quando multi convenerint solemnitate, & non recipit eos Ecclesia. Tertio, quando in Castro, pro militibus, & in litore pro navigantibus. Potest enim in his similibusque occasionibus, juxta Ecclesiam, vel intra ipsam, etiam dimittere sub dio, sacrum fieri. Quod si ad sit Ordinator, cum egressus licentia, si non adit, non est de ea licentia, cum ipsa necessitas illum sufficiens erit, ut per autem exigitur Altare, in quo superponatur ara, cum cæteris necessariis ornamentis, ut in consequentibus, supponimus.

4. Possit in navibus, præsertim grandioribus, dum navigant, ex licentia Pontificis, docet Delugo *sect. 3.* At verò sufficere solam Episcopi licentiam. Coninch. *de Sacram. q. 83. art. 3. disp. 1. n. 216.* negat. Mat Granado 3. *part. controvers. 6. tract. 14. d. 13.* & 14. namque idem Delugo. Omnes probabiliter.

#### §. II. De Episcopi potestate circa locum Sacrificij.

5. Non est difficultas, quod ad Episcopum, vel ad quem Prelatum pertinet consecrare, & benedicere Ecclesias, vel Oratoria publica (Oratorium publico etiam illud, in quo sit janua privata altaris, alicujus secularis, si ad sit alia janua exposita parochialis) sed solum difficultas est de duobus potestatis sacrificij locis infirmatis n. 1. id est, de Oratorio profano, & de loco profano. In quibus tamen, clariora sunt quaestiones distinguendæ. Primò, an Episcopus possit concedere facultatem celebrandi, per modum actus in quocumque loco decenti domoque privata profana aliorum, ipso Episcopo absente. Secundo, saltem idem possit in quocumque loco domus habitatorum in domo profana aliorum, sed coram se seu ipso presente. Tertio, an possit deputare Oratorium in eadem domo, ut ibi indifferenter ab omnibus per modum publici celebraretur. Quarto, an in domibus privatim profanis aliorum idem possit: de singulis separatim cebo tamen de quarta iustis de causis libens.

*An Episcopus possit concedere facultatem celebrandi in loco profano, sed decenti, extra domum suam ipso absente.*

6. Olim id potuit Episcopus, nunc verò non potest. Ita Delugo *de Euchar. disp. 20. sect. 2. num. 49.* Ratio potestatis est ampla concessio ipsi à sacris Causibus n. 12. afferendis, attributa. Ratio posterioris est quod Concilij Tridentini *sess. 22. in decr. de observ. in sacris Missis. Ne patiantur* (inquit Tridentinum) Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium secularibus, aut regularibus peragi.

7. Illud nota cum Suarez *de Sac. disp. 81. sect. 1.* Observandum circa finem. Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 2.* aliique, quod licet Tridentinum restringat Episcopi potestatem, non videtur tamen eis ablata potestatem occurrente necessitatis casu, dispensandi, ut fecerit sæpius, (quatenus rationabilis causa fuerit) in beneficio, quamvis profanis usibus destinato, super altare, crato, & ornato, Missam celebrare liceat. Ratio est, quod cum ejusmodi casus frequenter accideret, solent tamen ter necessaria est Episcopis talis dispensandi potestas maxime in Regionibus ab urbe remotioribus.